

Gallucius Bononienſis, Nicolaus Gallianicus, Hircus Piſanus, & Nicolaus Darſerius, viri ea tempeſtate multi nominis: Petrus Hemus prætor erat: legati Nicolaus Contarenus & Joannes Mocenigus. Duabus inde oppugnationibus tentata Clodia: priori, etſi atroci & laborioſa, quippe quæ a prima luce ad veſperam cum multorum cæde protracta eſt, manſit tamen civitas incolumis: altera vero mixtus militibus Ligur in mediam urbem irrupit. Ferunt artem viribus adhibitam, ſubjectumque ab hoſte parvum navigium ponti, ſarmentis aridiſque virgultis plenum: quibus incenſis, fumo ſpiritum ſuperne pugnantis intercludente, æſtu ad hæc & flammis una ingruentibus, Venetum ceſſiſſe. Nec hoſtis in tanta occaſione deſedit: ſed occupato ſemel loco, cedenti Veneto inſtitit, cum quo mixto agmine per cædem ac ſtragem in urbem irrupit. Tum vero ab oppidanis & aliis alio dilabentibus fuga facta eſt: Petrus Hemus cum quinquaginta militibus relictus, aliquandiu hoſtem, ad pontem foro proximum fortiter ſuſtinuit: deſperatis tandem rebus, ſuperabundanteque hoſtium multitudine, ſe cum fociis in prætorium recepit; mox vero deditione facta, in hoſtium poteſtatem venit. Immiſſis deinde copiis, urbs direpta eſt: Genuenſium ſigna, Lodovici Regis, ac Carrarii Principis, deſectis Venetis, edito ſunt loco præfixa. Matronæ, quarum pudicitia victor hoſtis imprimis conſultum voluit, cum pueris in ædes ſacras confugerant: inde poſt triduum revocatæ jubentur in ſuas ædes remigrare. Quidam media trepidatione ſibi fuga ſalutem quaſivere: reliqui capti, qui in Ligurum poteſtatem venere, Clodia in vinculis habiti. Quoſcunque vero Patavini & Carni ſortiti ſunt, ad unum abducti. Habet Clodia ad meridiem quaſi Cherſoneſum quandam, quum verius inſula dici poſſit, ad quingentos paſſus amplam, Brundulum uſque excurrentem: id ſoli ferme totum ab accolis ſtudio & induſtria colitur, vineta habens & hortos admodum feraces. Hinc quaſtus non parvus locorum incolis: quanquam ſalinis quoque & piſcationibus ſtudeant. Sunt his locis foveæ circa prædia

*Clodia ex-
pugnantur
poſt diurnam
obſidionem a Ge-
nuenſibus.*